

7.  
THESES,

QUAS

IN EXERCITATIONEM STIPENDIARIORUM AD  
UNIVERSITATEM IMPERIALEM ABOËNSEM

P. P.

DOCT. ISRAEL HWASSER,

*Med. Praef. Professor.*

RESPONDENTE

CAROLO GRÖNLUND,

*Stipend. Publ. Satac.*

In Auditorio Medico die V Decemb, MDCCXXI.

horis a. m. solitis.

---

ABOË,  
ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.



### I.

**Q**ui non nisi limitatam sibi effingere valuerunt vitæ se ipsam perpetuo producentis imaginem, Naturæ scrutatores tritum illud & liberae rei disquisitioni officiens proverbium Harveianum: *omne vivum ex ovo*, usque ad naufragium repetendo, fatis diu sibi ipsis placuerunt. Maximi autem in universam Naturæ scientiam momenti rem ita ex auctoritate decernentes magis, quam forsitan ipsi crediderint, universalem & absolutam vitæ notionem impeditiverunt,

### II.

In dijudicandis scilicet, quæ ex observatione & experientia petiere istius sententiae auctores, argumentis, si, quæ alterius partis sectatores afferre valeant, rite respicere, neque jam fere antiquatae, arctiori quam fas est vinculo irretiti, adhærere velimus opinioni, fugere nosmet non poterit, sententiam laudatam convenientia cum legibus, quas vim vitæ procreaticem indagaturi agnoscunt, omnino carere, nisi, quem incognitum adhucdum relinquere cogitur angustioribus sensuum limitibus circumscripta observatio, campus absurdis & quidem arbitrariis repleatur positionibus.

### III.

E fideli igitur rerum in Natura obvenientium observatione progressa non est hæcce opinio, sed principali & quidem

dem veræ, quamvis limitatæ, vitæ generantis ideæ innititur, quæ vitam uti unicam sui ipsius causam & fontem confide-  
rans, sententiam, qua corpora organica e quodam corporum,  
ut ajunt, mortuorum accidentalí concursu posse oriri statui-  
tur, et si empiricis illa suffulta videretur argumentis, neuti-  
quam admittere potest.

#### IV.

Quod si autem universalis fit & totam naturam generans  
vita, atque si strictiori solum ejus notioni innixam Naturæ in  
viventem & mortuam divisionem uti falsam & evectioris Bio-  
sophiæ omnino refragantem principiis, rejecerimus, discepta-  
tionem illam, inter idealem naturæ contemplationem & empi-  
ricam phænomenorum observationem, radicibus sublatam in-  
veniemus. Distinctionem itaque, quam recentissimi ævi naturæ  
indagatores, inter generationem *originariam* & *secundariam* fe-  
cerunt, ut veritati congruam & progredienti naturæ scientiæ  
proficiam agnoscimus, licet notionem, quam generationis  
*aquivocæ* seu *spontaneæ* denominatione designatam voluerunt  
veteres, ut falsam & ideali vitæ contemplationi vere inimi-  
cam, plane esse rejiciendam confiteamur.

#### V.

Si, quæ de Cupri in corpus humanum efficientia Köch-  
lin, Beisser & præsertim celeb. Gölis ceperunt, fides ha-  
benda sit experimentis, jure meritoque speramus fore ut hu-  
jus metallici remedii, Hydrargyrum inter & Ferrum medium  
forßitan tenentis, usu, feliori, quam huc usque licuit, succes-  
fu, morbos, quos dicunt vegetativos, simus debellaturi,

#### VI.

Quæ contra COINDET, *Jodinam* in frumosis colli affe-  
ctionibus, ut efficacissimum remedium perhibentem, inde tu-  
lerat NORDHOF argumenta, quod experimenta quædam de re-  
medii

medii hujus vi agendi capta, ostendere visa sunt, erosionem  
Oesophagi & ventriculi, usum ejus interdum fecutam esse;  
ad infringendam opinionem laudati COINDET, neutiquam suffi-  
ciunt. E contrario efficaciam hujus remedii, quam utique  
ad diminuendos & removendos tumores præcipue glandula-  
rum maximam esse testantur præter COINDET Cel. FORMEY &  
ipse NORDHOF, rem adtentione & adcurata medicorum expe-  
rientium dijudicatione dignissimam habemus.